PUTATIO MEDICA
NAUGURALIS,
DE
lierum Sanitate Tuenda,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

LIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

EMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

plissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

issimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

GRADU DOCTORATUS,

QUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

LUMBUS MACQUEEN,

BRITANNUS.

Ad diem 12. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

ud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Viro nobiliſſimo

ALEXANDRO

DOMINO MACDONALD,

DE SLEAT,

Qui antiquam proſapiam,

Ex qua oriundus eſt,

Propriis virtutibus, artibus egregiis,

Doctrina, ingenio, morum comitate,

Et bonarum literarum ſtudio,

Ornat, auget, commendat;

Tam illis adductus,

Quam benevolentia et officiis,

Quibus ſe ſemper proſecutus eſt,

Provocatus,

Haſce ſtudiorum primitias,

In re medica,

Maxima, qua decet, obſervantia,

D. D. D.

C. M.

ISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

IULIERUM SANITATE TUENDA.

PROEMIUM.

QUUM naturam variaque genera rerum explorando, mens hominis proprium occ-
bat opus, vireſque colendo acquirit; ita non
ciandum eſt, quin ea quae ad ſanitatem ſalu-
nque humani generis pertinent, primam ac
ecipuam curam mereantur. Leges enim qui-
s aetatem degimus exponere, varioſque gra-
s quibus e carcere ad metam vitae tranſcurri-

mus denotare, quae porro in curſu timenda, quae, et quomodo evitanda, indicare; uti famam medico parant, ita apprime valetudini inſerviunt.

Praeter varios caſus variaſque mutationes, quibus cum caeteris animalibus humanum genus ſit obnoxium, ex variarum animi facultatum natura, ſpatioque agendi ampliori, multis periculis aerumniſque, quibus inferiora animalia ſunt omnino vacua, indies ſubjicitur: Eorum vero majorem partem directe ſeu oblique ab animi affectibus oriri inveniemus; quorum ſi non plures numero ſint naturâ inſiti, tamen magis verſatiles ſentit, impulſumque frequentiorem patitur. Ex affectibus igitur aeſtuantibus, ſed praecipue ex intemperantia, et illa via a natura abſona, qua ſaepenumero in voluptates tam avide ruit, evenit, ut homo, ex omnibus animalibus, valetudine maxime incerta fruatur: Non tantum ſaepius, ſed ex levioribus cauſis male afficitur, et in omni tempore vitae morti objectus eſt: Dum caetera animalia, *perraro*, niſi annis confecti, obeunt, *raroque* aegritudine laborant.

Sed affectibus quibus homines adeo agitantur, injuriiſque externis quibus communiter afficiuntur, omiſſis; unum inſigne et notandum diſcrimen

men inter animalia ſexus facit. Hinc maribus ac foeminis ſuae leges, ſua munera, ſuus habitus, ſuum regimen: Et, etiamſi pleriſque muneribus conſentiant, aliis tamen adeo differunt, ut inde pluribus morbis, in utriſque maxime diverſis, ſint obnoxii. Conſtabit autem inquirenti, infirmitates ac incommoda, quae a ſexus diſcrimine humano generi eveniunt, minime inter mares ac foeminas aequaliter diſtribui. Corpus enim foemineum ad alendam ſobolem dum in utero, dum in gremio verſatur, deſignatum, praecipuis legibus ad id ipſum ſpectantibus, ſubjicitur; eademque de cauſa, plurimis doloribus patet, quibus mares ſunt prorſus immunes.

De natura igitur cauſiſque eorum morborum, ac modis quibus occurrendi, hocce opuſculo quam pauciſſimis differturus ſum.

Eas autem, ut omnia magis innoteſcant, in duas partes, ſequenti ordine, dividimus.

In *prima*, Diſcrimina praecipua quibus foeminarum habitus ac virorum inter ſeſe differunt, indicanda: Et hinc quaedam cauſae generales, quibus foeminae morbis nonnullis ſexui propriis procliviores redduntur, ſunt inſtituendae.

In *ſecunda*, Foemineum habitum a primordio aetatis, per varios gradus vitae carptim percurrens,

rens, morbiſque qui ſingulis gradibus immine-ant indicatis, quantum vires valeant, ita dicam, et ita conſulam, ut morbis ipſis, cauſiſque unde oriantur, obviam optime eatur.

PARS PRIMA.

MULIER, ut ſupra diximus, natura ipſa deſtinatur ad prolem in utero gerendam alendam-que, donec ei ſit robur et firmitas, quibus rerum externarum impreſſiones poſt partum reſiſtat; porro, ad nutrimentum idoneum comparandum donec cibaria craſſiora digerere poſſit: Propte-rea, ita eſt formata, ut, ad puberem aetatem pro-vecta, major humorum copia, quam ſibi ſit neceſ-ſaria, collata, vel in proprium uſum vertatur, vel ſi inutilis, abjiciatur.

Inter animalia majora plerumque notandum eſt, femellas ſtatura, viribus, ac firmitate ſolido-rum maribus inferiores eſſe *: (Apud genus hu-manum certiſſime obtinet): Oſſa foeminarum magis exigua, graciliora, et molliora quam viro-rum

* Buffon. Hiſt. Nat.

rum *: Musculos tenuiores, nec tam bene connexos, et materia cellulosa magis refertos †: Cutem laxiorem, laeviorem, et pertenuem, majorem pinguedinis copiam subter habentem. Idem texturae discrimen, ut Clift. Wintring. experimenta declarant, vasis adest; foeminis arteriarum tunicae multo exiliores, laxiores, et fragiliores. Venae contra, prae arteriis densiores, firmiores, et minus capaces sunt ‡.

Ex hac nativa muliebrium solidorum laxatione, eas ad violentos motus et opera difficilia minus idoneas, apparet; fibrae quoque minori injuria, quam si textura firmior esset, ulterius distenduntur. Hic etiam notare liceat, talem habitum isti pulchritudini, ac venustati sexui propriis, maxime opportunum.

Ab eodem fonte quoque ista ad plethoram proclivitas,

* Hall. El. Phys. lib. XXVIII. p. 2. Monro Ost. p. 296.

† Hall. El. Phys. lib. XXVIII. p. 160. 161.

‡ Cl. Wintr. Exp. Inq. ex. 18. 19. 32. 33. &c. El. Phys. lib. XXVIII. p. 2. et 161.

proclivitas, in corporibus foemineis adeo notabilis, magna ex parte, oriri invenietur. Etenim, praeter vim illam occultam, ſi quae ſit, qua corpus muliebre plus ſanguinis ad munera pariendi et lactandi parare poſſit, ingeſtorum ac egeſtorum diverſitas eundem neceſſario edet effectum. Virium moventium debilitas, arteriarum laxitas, ſimul cum venarum reſiſtentia, circuitum ſanguinis languidum, tardaſque ſecretiones progignent, quae in vaſis a corde remotiſſimis, uti in ſuperficie, praecipuae evenient; et mulieribus quam viris minorem perſpirationem compertam habemus *. Hinc patet, foeminas ex corporis habitu non tantum plethorae magis eſſe obnoxias, ſed ab iiſdem cauſis, emunctoriis conſuetis ad expellendum minus idoneas; ita *ſtaticis* experimentis †, aeque ac uſu quotidiano, plus ſanguinis, *caeteris paribus*, foemineis corporibus quam virilibus ineſſe, demonſtratum. Vita quoque ſedentaria, cibus ſolutus, calidus, et quies ſupervacanea, quibus mulieres plerumque tam profuſe ſeſe indulgent, multum huic ad plethoram habitui et laxitati jam dictae, conferunt: Et hoc a diverſitate

te

* Sanctorius, Cockburn, Haller, Friend, Pitcairn.
† Hales Haemaſtat. p. 12.

te temperamenti foeminei, prout magis minusve his causis objicitur, adhuc clarius liquet.

Ex hac dote peculiari habitus muliebris, qua plus humorum, quam ad sua corpora alenda sit necessarium, colligunt, congestionem hanc eo brevi invalituram apparet, ut totum systema vasculosum opprimeretur, et omnia corporis munia turbarentur, nisi provida natura, suae prolis tutela, periodico ex utero sanguinis effluxu, hanc injuriam penitus amoveret. Hic fluxus cunctis foeminis ubique terrarum contingit, et quanquam per loca, cibum, ac alias causas variatus, attamen ita incipit, et tamdiu manare perstat, quamdiu systemati unicuique convenit.

Una autem cum laxitate ac plenitudine habitui foemineo nativis, alia etiam aegrotationis causa, nec minus periculosa, nempe specialis animi corporisque Mobilitas, qua unoquoque impulsu celerius agitantur. Ea nervosi systematis conditio, qua vis sua facilius excitatur, et irritamenta singulis partibus citius communicantur. Hanc mobilitatem nervosam, in utroque sexu laxitati et inanitati saepe annexam, invenimus, sive ex morbo, sive quodam constitutionis statu, sicuti infantili, &c. orientem. Laxatione autem mulieri quam homini magis insita, mobilitas quoque illi

natalis

natalis videtur; ac nihil fortaſſe in quo temperamentum foemineum et maſculinum magis ſeu conſtantius inter ſeſe differunt, quam ea mobilitate qua foemina citius agitatur, ac motus varioſque affectus animi patitur. An hoc unquam ad levitatem, ſive animi inconſtantiam, cujus a nonnullis ſexus accuſatur, perveniat, utrumne poeta rite cecinit, quod *varium et mutabile ſemper foemina*, experientia mea dijudicare nequeo; at, ſi huic dicto quid cauſae omnino ſit, legibus a natura conſtitutis, quam ulli morum pravitati, tribuendum ducimus.

Tametſi plurima morborum exempla hanc mobilitatem tam ſaepe inanitionem comitari oſtentant, interdum vero ſtatui omnino adverſo, nempe plethorae, connexam inveniemus: Et haec poſterior mobilitatis conditio inter foeminas plerumque obtinet. Pathologia ſyſtematis nervoſi, quamvis nuper admodum exculta, multis tamen in partibus obſcura et imperfecta adhuc reſtat; atque id de quo loquimur, hujus imperfectionis, inter alia, eſt exemplum. Ex anatomia dilucido patet, nervos ſe vaſis ſanguineis ſocios dari, quaſi neceſſario in muneribus fungendis alia ab aliis penderent. Si quadam tenſione nervis ſit opus ad munera apte exequenda, annon probabile, eos hanc

tensionem a plenitudine in vasis proximis, saltem ex parte, accipere posse; et prout haec plenitudo major vel minor est quam expedit, nervorum tensionem fore plus minusve variatam?

An hoc argumentum verisimile sit, non est nunc inquirendum; attamen sine dubio, complurium morborum memoria eo spectat, ut cuicunque habitui debilitas systematis nervosi mobilitasque antea insint, vasorum plenitudo hanc mobilitatem magis augebit. Hoc, magna ex parte, in epilepsia probatur, qua mobilitas habitum ad hunc morbum proclivem efficere videtur; causae autem quae saepissime paroxysmum afferunt, hae sunt, quae cerebri vasis plenitudinem inducunt; quidam, sciz. animi affectus, corporis violenti motus, potiones inebriantes, &c. Via quoque optima morbi ejiciendi seu sublevandi ea est, in qua totius corporis plethora, vel nimius sanguinis in cerebrum fluxus, impeditur. Idem fortasse de mania, etiam ac de variis convulsivis morbis, dicatur: At, ni fallor, de morbis plerisque mulierum verissimum est, quibus laxitas et mobilitas sunt insita, et quarum habitus eo semper irritabilior, morboque proclivior, quo magis augetur plethora. Hinc tempore menstruali irritabilitas summa, cum foeminae non tantum morbis recentibus ma-

gis obnoxiae ſint, et, ob cauſas quae aliter vix injuriam adducerent, ſed morbi olim exiſtentes nunc in pejora ruunt: Inde hyſteria, ſeu ea affectuum nervoſorum turba, cui id nomen inditum, ſaepiſſime plenos ſanguineoſque habitus aggreditur: Hinc prae aliis viduae juniores, foeminae ſteriles *, puellae quibus menſes obſtructae, et quae vitam in otio luxurioſam agunt, huicce morbo ſunt admodum obnoxiae: Hinc denique ſanguinis detrahendi, hiſce in caſibus, utilitas, crebraeque exercitationis, ac tenuis diaetae, ad ea mala reſiſtenda, &c.

Quoniam vero non jam de ſanandis, ſed magis de morbis foeminarum praeveniendis, agitur, ita ingenium habitus, unde hi morbi magis minuſve prompte oriantur, exponere oportet.

Ex ſupra dictis, mihi veriſimile videtur, laxitatem, plethoram, et mobilitatem, foemineo habitui, tum conſtitutione, tum vita, adeo communia, eſſe cauſas quae ſexum ad morbos diverſos, magis ſibi proprios, maxime accommodatum reddunt: Et quo major earum conjunctio, eo amplior vis cauſarum excitantium in morbis hujuſce generis creandis erit. Inde, ut optime mulierum ſanitati conſulamus, hujus ingenii ne nimium creſcat

* Hoffm. op. Vol. II. p. 51. 52.

crescat proclivitas, cavendum est: Simul vero omnis causa occasionalis sedulo evitanda. De hoc autem plenius alibi.

Apud scriptores medicos, qui de morbis foemineis tractarunt, diu percrebuit opinio, eos ex morbido uteri statu, et praecipue ex menstrui irregularitate fluxus, originem ducere*. Hinc theoriae de mutatione uteri situs, de vapore quodam subtili exinde proveniente, et organa remota irritante, de sanguine menstruali pravato, et de seminali materia (*lympha seminalis Hoffmanni*), in systema reabsorpta, &c. quae omnia, quantum a veritate abhorrent, neminem nunc latet.

Haec sententia ex observatione sat justa oriri videtur, nempe, fluxum mensium temperatum plerumque mulierum sanitatem ac foecunditatem indicare; itemque, post obstructiones subito inductas, totum corpus injuria saepissime vexari.

Annon vero idem de aliis muneribus, quae illis aeque nativa et stabilia ac menses, dicere liceat? Nonne perspirationis, vel cujusvis naturalis aut solitae excretionis, obstructio, caetera corporis officia, habitu praecipue irritabili, conturbat?

* Morborum omnium uteri causae sunt, Hip. de locis in hom. cap. 15.

bat? Annon varia ſymptomata quibus deſignatur hyſteria, ſaepe a fluore albo, fluxu haemorrhoidali, &c. aeque ac menſibus ſuppreſſis, oriuntur *?

Praeterea, hae affectiones morbidae ſaepe obtinent, quum menſes, eodem tempore, ſine impedimento fluunt; nec ullum morbi indicium in utero obſervandum; unde Hoffmannus, "Novimus virgines, haud ſecus ac foeminas annoſas, hyſterico malo pertinaciter laboraſſe, quibus tamen menſes vel haemorrhoides ſatis liberaliter profluxere †". Immo, ſaepiſſime videmus hyſteriam, omni diverſa ſpecie, aliorum viſcerum ſtatui, ſicut ventriculi et canalis alimentarii, potius quam uteri, annexam; ejuſque paroxyſmos citiſſime excitatos irritamentis ad eas aliaſque partes remotas, genitalibus organis penitus illaeſis: Ita materia peculiaris in ventriculum aſſumpta, impulſus certi in aures nareſque, et, prae omnibus, animi affectus, in habitu praediſpoſito, vehementiſſimas commotiones cient, menſibus profuſe et ex ordine manantibus, ſeu muliere nupta ac pariente. Porro, obſervandum eſt, utero ulceribus,

* Hoffm. op. vol. 2. p. 63.

† Hoffm. op. vol. 2. p. 54.

ceribus, tumoribus ſcirrhoſis, &c. vexato, talia ſymptomata haudquaquam ſemper adeſſe. Et, quando hyſteria aut chloroſis diu perſtiterunt, rariſſime uterus, cadavere ſecto, laeſus aut mutatus deprehenditur *.

Ne quidem obſtructiones jam inductas ſemper malis hyſtericis, aliiſve motibus violentis, neceſſario comitatas offendimus. Ita primis graviditatis menſibus, cum jam copia ſanguinis, quam quod foetus requirit, amplior, ac ſumma plenitudo appareat, ſyſtema, niſi in laxis ac delicatis, haud magnopere afficitur; dum mulier agreſtis, quae vulgo parce menſtruat, vix quicquid incommodi exinde ſentit. Neque raro evenit, foeminas iſtiuſmodi, etiam celebes, periodum menſtrualem impune tranſire †; ſiquidem ſyſtema ſolitis ſecretionibus ad ſuperfluum expellendum ſatis viget; et eo magis, quia, victus cultuſque ratione, ſanguis iis raro abundat. Nota mihi fuit virgo agreſtis, quae, primum inter menſtruandum, tanto pudore capta, matre ſua improviſo occurrente, ut fluxus ſtatim eſſet ſuppreſſus, et tribus annis exactis non redierit: Nullum attamen hyſteriae

* Manning on female diſeaſes, p. 211.

† Tiſſot avis au peuple, chap. XXVI. §. 355.

teriae aut chlorofeos indicium, vel ulla altera aegritudo, nifi ravis et angina, quibus faepe afficiebatur, illinc fuperveniffent. Vitam operofam fimplicemque agebat. Foeminas quafdam, etfi paucas, valetudine bona ufas, liberofque peperiffe, quibus menfes nunquam extiterint, fatis conftat *; et fluxus diverfitates quas regio, cultus, et morbi quidam inferunt, manifefto comprobant, hanc functionem toto cum habitu intime connexam effe, et totius habitus conditione, aeque ac ullam aliam functionem, mutari.

Hic loci vero nequaquam negare vellem, menfes abnormes, et praecipue obftructas, morbos muliebres faepenumero gignere: Contrarium experientia patet. Etenim, cum fyftema animale ex partibus diverfis conftet, quibus natura diverfa munera dedit, et quoniam fanguis vifque nervofa cuique parti pro ratione mittitur, ita quodcunque impedit quo minus pars ulla copiam fibi debitam accipiat, in caufa fit, cur ad alias partes nimium mittatur: Hinc menftrui fluxus fuppreffio, fanguinis jufto circuitu turbato, morbos plurimos inferre poteft. Semper tamen continget, ut quo magis fit praeexiftens laxitas mobilitafque, eo

* Boerh. inftit. §. 662.

eo facilius haec mala inducantur, aut, ſi jam inducta, eo magis valeant.

Itaque, etſi obſtructiones ſaepe morborum praevalidae ſint cauſae, tamen plus quam par eſt vulgo iis tribuitur; et ſaepiſſime medici in errorem labuntur, medicamenta topica ad fluxum menſtrualem cohibendum, vel reſtaurandum, adhibentes, ubi ratio ſyſtematis univerſi praecipue habenda eſſet; quo refecto, menſes, pariter ac omnes aliae functiones, rite ut antea peragentur.

Ut morbi foeminis proprii, magna ex parte, e virium motricium defectu oriuntur, ita medicamenta, quorum auxilium cito tranſit, ad eos morbos expellendos, ac multo minus reſiſtendos, haud magnopere valebunt. At, ſi qua reſiſtendi, iis modis tantummodo fiat, qui ad ſyſtema mutabile firmandum ſponte valeant, rerumque quibus nomen *nonnaturalium* inditum, adminiſtratione perita. Eodem vero tempore errores omnes, qui, ex legibus foemineo habitui propriis, nocere poſſint, ſedulo ſunt cavendi. Hoc autem ad partem ſecundam argumenti ducit; ubi ea quae praecipue noceant, et quibus modis evitanda, indicare propoſitum eſt.

PARS

PARS SECUNDA.

Hanc partem argumenti, ut omnia magis in propatulo ſint, in tres ſectiones diviſimus. Quarum,

1*ma*, A pueritia, donec habitus penitus adoleverit, ac mutationes pubertatis inſigniores expertus ſit, extenditur.

2*da*, A pubertate, ad tempus quo menſes ceſſare ſolent; cum monitis nonnullis huic ſtadio idoneis.

3*tia*, Quaſdam de graviditate obſervationes complectetur; nonnullis de puerperis et nutricibus adjectis.

SECT. I.

Omnium animalium, ac praecipue generis humani, primordio vitae, partes et compages ſunt molles, tenerae, ac ſucculentae. Cor pro magnitudine corporis amplius, citius et liberius movetur, frequentius quam poſtea pulſatur. Arteriae laxae et amplae pro venis *, et univerſaliter ſanguine diſtentae.

Ita

* Clift. wintring. exper. inq. exp. 1. 5. 6. &c.

Ita fieri videtur, ut ex hoc vigore ac velocitate cordis, cum laxitate et ductilitate ſolidorum, corpora animalium initio aetatis cum annis creſcant; nam, quo minor aetas, eo amplior, prae caeteris partibus, vis cordis: Hinc fit, ut animalia, quo cunabulis propiora, eo celerius, vaſis ac fibris vi cordis facile cedentibus, creſcant *.

Sed actione vitae continua, corporumque quibus ſemper circumdati ſumus preſſione, partes ſolidiores paulatim denſantur, gradatim rigeſcunt; dum ex vaſis minutioribus nonnulla inter ſeſe coaleſcunt, et in ſolida mutentur; materiaque accreta, forma pullulet, corpuſque amplius et robuſtius fiat. Hinc, vi cordis diſtendenti, uti corpus amplificatur, indies reſiſtitur; donec, quodam tempore vitae, ſolidarum partium reſiſtentia cordis impulſui fit aequalis; quo tempore animal creſcere deſinit, et res ſtat in aequilibrio.

Sed haec actio continua, qua corpora animalium adoleſcunt, non aequaliter, uti primo intuitu nobis videretur, per univerſum habitum obtinet. Quarundam partium ita conſtituuntur ſtamina, ut in his fit evolutio celerior quam caeteris; et hinc elongatio rigiditaſque maturior citius facit

* Hall. El. Phyſ. lib. XXX. p. 25.

aequilibrium. Hanc evolutionem ſerie continuatam manifeſto habemus compertam; cauſae vero in ambiguo ſtant, et ſtabunt, donec leges quibus animalia procreantur, ſtaminaque corporum primaria, magis enoteſcant. Videretur autem generalis oeconomiae ſaluti neceſſarium, ut ad faſtigium incrementi membra corporis diverſa, alia prae aliis, creſcendo evaderent; praecipue cerebrum, ut fons vitae motuſque, primum perfici expedit; ſine quo nec ſenſuum organa, initio vitae, nec caeterae partes poſtea, evolvi queunt. Poſt cerebrum, abdominis et thoracis viſcera invicem evolvuntur *; tum pelvis et membra externa genitalia adoleſcunt.

Sed, diverſis membris ſeſe evolventibus, ſub tempus genitalium ſummae evolutionis, totus habitus mirum in modum afficitur, mutationeſque maxime inſignes patitur. Jam natura ſexus manifeſtius apparet. Jam quid velint mas et foemina innoteſcit; membris perfectis, uterque ſua munera, a natura cuique praeſcripta, exſequi gaudet.

In habitu foemineo, hoc aevi tempus jucunditate plenum, ſed a periculis minime ſecurum, mira

* Hall. El. Phyſ. lib. XXVIII. p. 164.

serie signorum, non minus oculorum acie quam genii inspicienda, notandum est. Jam florescenti forma, puella sensim et celerius formosior ac ...mior fit *. Jam rubicunda facies proprios in...it honores. Jam oculi novo lumine ardescunt. Melius inter sese membra consentiunt; et ...vi affectus novum incessum condiscunt. In ...nni rerum serie sexum sentire videtur, et facta, ...rba, lumina, virginem puberem probant. Mam...ae brevi tempore, at non sine sensu doloris, sese ...gunt. Pelvis praesertim quaquaversus expan...tur. Extrema inferiora extenduntur; mem...aque foeminis propria sese amplificant, et vesti...m illum, nunquam postea deponendum, sumere ...cipiunt. Jam totum corpus languescit; taedi...n, lassitudo, et torpor invadunt; gravitate et do...re capitis laborat: Levem febrim caloresque er...ntes, cum *anorexia*, patitur. Pelvis tandem et ...nbi insignius laborant gravitate, calore, et do...sa tensione, usque ad pudenda extenta, ubi virgo ...olita, quae nolit et nescit patefacere, sentit. ...imum humor serosus, deinde ipse sanguis, e va...ina exudat; et hic fluxus, pro habitu corporis, ad

* Hall. El. Phys. lib. XXVIII. p. 139. Hoffm. Oper. Vol. II. p. 53. Buffon, T. IV. p. 222.

ad quintum aut fextum diem, durat; deinde cum omnibus fignis evanefcit. Incerto autem tempore, fed vulgo amplius menfe, idem fluxus cum fymptomatibus quibufdam redit. His per quaedam tempora repetitis, tandem menfem circiter lunarem reditus fit; quod tempus et naturae, et faluti confentaneum videtur apud foeminas omnium gentium; etiamfi fingulae quandoque aliter fefe habeant.

Haec phaenomena primam menfium eruptionem vulgo fignant: At, fi habitus fit robuftior, multa ex his forfitan non fentiuntur.

Quum haec facies rerum non fefe oftendat, nifi tempore quo evolvuntur ginitalia; an fupputemus igitur, menfes caeterafque mutationes quas corpus circa pubertatem fubit, a genitalibus folis pendere?

Non eo inficias quin vafa uterina fint prius evolvenda, quam fluxus menftrualis appareat; fed tot tantique affectus, hoc tempore vitae, praeter fluxum menftrualem, obtinent; adeoque et animi et corporis habitus mutatur, ut ea omnia conditioni foli genitalium adfcribere, animus recufat; fed vi, magis univerfaliter agenti, haec effici videntur.

Summa

Summa cura, summa obſervantia, judicia de legibus, et quae ad actus complexi corporis animalis pertinent, facere debemus; quoniam tantum de principio vitali inviſibili pendeat, quod aciem quidem ingenii prorſus eludit, nec cum materia ullam analogiam tenet.

Primis annis vitae, humanum ſyſtema adhuc maxime imperfectum apparet, cum plurimae ex his facultatibus, quas poſtea adipiſcitur, omnino deſint, et natura, uti videtur, ea ſola ſuppeditet, quae ad corporis tutamen et incrementum neceſſaria ſunt. Quum autem corpus jam firmius et validius ad ſtaturam juſtam progrediatur, propoſitum naturae videtur, ut ſubitam et inſignem mutationem omnibus partibus ſubiret. Vitae facultates plures et valentiores, quam antea, cito fiunt; et natura plus vinculi non amplius ſentiens, quaſi priſtinae morae, et tarditatis taederet, uno inſigni et notando niſu e pueritia ad pubertatem breviter evadere tentat: Et ad ea munia exequenda, tum animo, tum corpore, adultis divinitus praeſcripta, non tantum progredi, ſed magis proſilire videtur. Hinc illum ſubitum virium vigoriſque incrementum. Hinc celeritas qua utriuſque ſexus non tantum genitalia, ſed totum corpus, adoleſcit: Vox mire mutatur: Barba pullulat;

lat: Membra cito insigniter consentiunt: Jam haemorrhagiae frequenter obtinent, praecipue illa haemorrhagica vis foeminina unde menses fluunt. Nec mens aliter, aut minus celeriter, mutatur; nova desideria invadunt; nova gaudia captantur; sensus et ingenium alio spectant: Vir totus denique, tum corpore tum animo, quasi de novo fabricatur, adeo ut complures medici, in morbis quibusdam chronicis curandis, huic notabili mutationi soli prudentissime fidunt.

Sed, quaecunque de pubertate nobis sententia sit, cuncta phaenomena ex genitalium evolutione necessario pendere, vel, quod mihi magis arridet, naturam hoc tempore, uti mutationem totius habitus efficeret, pro viribus niti; hoc, ni fallor, concedendum erit, quodam robore ac tono diversarum partium, totiusque systematis facultatibus has mutationes efficientibus, opus esse: et quodcunque systema debilitat, motusque naturales tardat, huicce rei magnopere adversari.

Sed tali systematis imbecillitati ex nativa mollitie, otiisque negotiis, et haud semel e ratione vivendi abnormi, foeminae potius quam viri sunt obnoxiae: Quibus omnibus, habitus non tantum ad munera pubertatis rite fungenda parum idoneus redditur, verum etiam saepe evenit, ut per quosdam

iam annos, priusquam ad hanc aetatem provectae int, debilitate magna ac languore, simul cum illa axitate et cachexia *chlorosis* dicta, affligi incipiunt; in quo statu omnes corporis functiones magnopere laeduntur; mensiumque fluxus, justo tempore elapso, penitus supprimitur. Haec suppressio a duabus causis praecipue pendet; primum, vires assimilantes sunt tam fractae, ut sanguinis sat sani haud comparetur; deinde, totius systematis tonus adeo demissus est, ut nisus haemorrhagicus justus effici nequeat. Cum ita res sese habeant, medicamenta emmenagoga, et relaxantia topica, inepte adhibentur, ex opinione vulgo recepta, quod chlorosis a mensium obstructione universim pendeat: Attamen, obstructionem hic ex imbecillitate generali oriri, abunde patet. Cum vero emmenagogis aliisve rationibus fluxus per vim adducatur, laxitate adhuc permanente, aegrota adeo dolore non levata, ut exinde potius deterior fiat *. Hinc convenit, ut remedia ad totum systema afficiendum, ad fibrarum moventium vim redintegrandam, et ad vasa sano sanguine implenda, accommodentur; quibus modis mensium fluxus,

* Tissot. avis au peuple. chap. XXVI. § 353.

fluxus, aeque ac aliae fyftematis functiones, rite progredientur.

Jam vero ea vitia ac errores, quae ad fyftematis tonum frangendum ante puberem aetatem, muneraque naturae tunc temporis impedienda, tendunt, indicare oportet. Quoniam autem, in tam arcto curriculo rerum profufe differere non licet, ea fola quae magis communia, et majoris vis habeantur, attingam; ac de iis praecipue quae ad *diaetam*, *exercitationem*, et *veftimentum* pertinent, dicturus fum.

Diaeta.—Primis annis vitae, utriufque liberi fexus eodem fere modo tractari, ac lacte materiaque farinaria, uti maxime decet, plerumque vefci, confuefcunt. Quum vero e cunabulis evadant, puellae fodalibus fui fexus junguntur, quarum mores exinde natura imitantur; quarum alimenti etiam participes funt.

Seculo luxui dedito, homines variae palato indulgebunt, his praecipue cupediis inhiantes, quae ad genium oblectandum, potius quam ad valetudinem confirmandam, pertinent. Et, cum foeminae magis domibus aetatem agant, nec animos negotiis procul agendis dedunt, tales indulgentiae quarum plurimae ad tonum vifcerum

digeren-

digerentium, et hinc totius ſyſtematis, imminuendum tendunt, apud eos frequentiores ſunt.

In his maxime notandus calefacti uſus liquoris, ac praecipue theae, quae maxima jam pars potionis mulierum, bis die, niſi in pauperrimis, large potatur. Jam ferme ab omnibus huic plantae vis ſedativa tribuitur, et hanc ill. noſter Cullenus in propria perſona expertus eſt. Sed, praeter hanc qualitatem, quam conſuetudo fortaſſe innocuam reddet, tantum calidi liquoris in ventriculum et canalem alimentarium demiſſum, ad eorum fibras ſolvendas neceſſario magnopere valebit. Et maxime mihi vero conſentaneum videtur, eorum crebritatem morborum, qui hiſce temporibus nervoſi vulgo dicuntur, e ſolidis vero laxis et irritabilibus manifeſto progredientes, magis ex nimio theae uſu, quam ulla alia cauſa, pendere.

Hoc autem non magis medicis quam foeminis notum eſt: Conſuetudinem vero, jam uſu ac deſiderio inveteraſcentem, ſpes ſuperandi amplius nulla manet: Opera tantum modo malum quod corrigere nequimus, ut levius reddatur, navanda eſt. Et ad hoc perficiendum, amicis tenerioribus enixe ſuademus, ut liquorem dilectum nec nimis calidum, nec nimis profuſe bibendo, ab injuriis

D quas

quas frequentiſſime paret, ſibi caveant; ac praecipue matribus hoc conſilium dandum eſt, ut hunc liquorem filiabus creſcentibus parca manu impertiant.

Aliud adhuc reſtat quo organa digerentia multum debilitantur; nempe, nimius acidorum dulciumque uſus, quae adeo a puellis adpetuntur. Multum acidi certiſſime corpori nocet; praecicipue ex vi ſedativa perpetuo acidis connexa, et e fermentatione morbida vinoſa exinde ſaepiſſime orienti, qua, aëre mephitico largiter extricato, fibrarum motricium contractilitas diruitur, omniaque *dyſpepſiae* ſigna viſcerumque debilium gignuntur. Corpora quae in hanc fermentationem facillime ruunt, ea ſunt quae magnam materiae ſaccharinae partem complectuntur, praeſertim ſi cum acido fuerit conjuncta; ſicut fructus recentes, vina, cereviſiaeque haud ſatis fermentata; nec non olera, condita, fructus arefacti, &c. quae in ventriculis infirmioribus eundem edent effectum. Haec omnia igitur ſunt ſedulo evitanda, vel ſaltem parce adhibenda, puellis quibus ſanitas integra eſt curae. Caeterum, omnibus aliis quae ventriculo tuboque alimentario officiunt, aeque cavere oportet.

Haud

Haud minus errores qui in potu vulgo admittuntur denotare necessarium est: Et in primis notandum, puellas, praecipue urbanas, cerevisiam tenuem, aliosque liquores ex brasio confectos, latice posthabito, indies combibere. Ipsi mihi notae puellae quae toto hebdomade a potu omnino abstinere, quam aqua simplici uti, mallent. Hoc aquae fastidium in vitiis diaetae maximis habendum, et procul dubio matricibus ac nutrientibus culpae est vertendum; quia facilius latici quam ulli alii liquori liberos assuefacere possent. Potio certe partem haud exiguam victus constituit, et, dummodo bona sit, ad corrigendum quicquid vitii cibo solidiori insit, magnopere confert. Gelidi fontis aqua animalibus certissime a natura in potionem destinatur, et haud dubie cunctis aliis liquoribus longe longeque antecellit; atque horum unusquisque, quo latici propior, eo usu potior est habendus. Cibum enim crassiorem latex purus quam optime solvit, cum humoribus sese perfacile miscet, variisque secretionibus aptissime subministrat.

Mediocritas aurea simplicitasque sunt naturae amicissimae; nimia enim parsimonia nec placet nec prodest. Copia cibi simplicis idonea, intervallis propriis assumpta, aqua simul affatim adhibita,

bita, omnibus conveniet; utpote quod tonum et ſyſtematis vigorem ſuſtinet, quo organa varia rite perficiantur, et pubertatis munera, a quibus ſubſequens corporis ſanitas adeo pendet, probe expleantur.

Sana corpora rite gerere, ſaniſque conſulere, perfacile; quidam vero ſunt ſtatus a morbido tantillum diſcrepantes, ut victus totiuſque regiminis rationem habere neceſſe eſt.

Ut ſupra notavimus, corpus dum creſcit humanum ſemper in ſtatu plethorico eſt; hujus tamen incommoda vix prius percipiuntur, quam ad aequilibrium, vel ſaltem ad pubertatem, provehitur, quando plethora morbida, praeſertim corporibus foeminarum ſanguineis laxiſque, ſaepiſſime contingit: Sanguinis enim accumulatio, pro ratione virium moventium, nimia fieri poteſt; vaſa, ſupra quod par eſt diſtenta, contractilitatem perdent; hinc ſanguis juſto lentius circumire, totumque ſyſtema illud conamen niſumque praeſtare nequit, quo menſtrua, aliaque hujus periodi phaenomena, efficiuntur.

Contra ea, tonus ſyſtematis hoc tempore nimius fortaſſe evadet, et naturae molimina juſto violentiora: Ita ut, in diverſis corporis partibus, pro laxitate cujuſque, haemorrhagiae effluant pericu-

periculoſae, et menſes ipſi adeo effundantur profuſe, ut labefactetur corpus, ipſaque periclitetur vita.

In hiſce conditionibus, quae ſub pubertatem ſaepenumero oriuntur, praeter evacuationes arte productas, curandum eſt, ut diaeta rite moderetur, ut a carnibus animalium, cum omnibus ſtimulantibus, caveatur, et refrigerantia, ſimplicia, mitiaque ſola adhibeantur.

Semper tamen memoria tenendum eſt, ſtatum adverſum aliquando obtinere, ubi a vitio corporis nativo, vel, quod forſan ſaepius fit, a quibuſdam cultus erroribus, motus ſyſtematis langueſcunt, et, vaſis ſat ſanguinis ſani non recipientibus, corpus univerſum ad eam laxitatem, a qua pendet chloroſis, ſenſim ſenſimque declinet. Hoc ergo regimen priori contrarium indicat; tenuis diaeta vegetabilis modicae cibi animalis quantitati poſthaberi debet; et quicquid aliud alimentum ſubminiſtrat, vireſque moventes auget, adhibendum eſt.

Exercitatio.—Si in foeminarum valetudine tuenda, regimen ad unum aliquod reſtringere mihi neceſſe eſſet, id unum exercitatio foret. Hac enim poſthabita, fruſtra alias ſalutem quaerimus; fruſtra quaeſitam ſervabimus.

Corpora

Corpora manifesto ad agendum formantur; alimentum vulgo labore et industria acquiritur: Natura, omnia prudentissime agens, uti ex membrorum exercitatione et sudore frontis vitam sustineamus, voluit. Artificum membra, aliaque praeterea exempla, demonstrant, fibras moventes plus vigoris et firmitatis usu adipisci: Etiam motibus his involuntariis, a quibus vita immediate pendet, externae actionis totius corporis opus est, sine qua breviter decrescunt, et ad munera propria fungenda incapaces fiunt. Exercitationi etiam tribuendum est, quod animalia fera et viribus et valetudine mansueta ejusdem generis antecellant; quod operarii otio vitam agentibus vulgo robustiores sint; quod ancilla sese domina validiorem et firmiorem habeat.

Si non sit a vero absonum quod supra diximus, nempe, morbos foeminis proprios e laxitate, plethora, et mobilitate oriri, ne fiant nimii, exercitatione, ut facile appareat, providendum est. Hinc enim, fibrae moventes universae consolidantur; sanguis celerius toto corpore diffunditur; secretiones et excretiones diversae promoventur: Et hinc denique justum illud fluidorum ac vis nervosae aequilibrium, a quo salus et salubritas

vitae

vitae praecipue pendent, ſingulis partibus ſervatur.

Imprimis maxime mirandum videtur, id quod omnes probe noſcunt, cui omnes conſentiunt, a tam multis fere in nullo pretio haberi. Nullus error inter foeminas, in cultu vitae, ignavia major aut nocentior eſt; et, etiamſi negotia ac officia quae dicantur foeminina ſint, magna ex parte, exercitationi inimica, attamen facile credam ea plus relaxationis, quam plerumque illis in uſu eſt, admittere. Sed fruſtra de puellis retinendis dicimus, antequam ad res domeſticas adminiſtrandas accedunt. Procul dubio in virginibus honeſtioribus educandis vitium eſt, quod domibus claudantur, immo quod eodem loco a mane ad veſperem, operulam quandam nullius pretii perficientes, ſedi affixae ſint, quum pars major diei pratis currendo, cumque ſodalibus ludendo, melius ageretur. Lycurgus, ille Spartae ſapiens legiſlator, cujus aciem ingenii nihil quod patriae ſaluti foret effugere videtur, lege ſancivit, ut, tam virgines quam juvenes, corpora curſu, paleſtris, &c. quotidie exercerent *.

Nullum

* Plut. tom. I. p. 47.

Nullum genus socordiae saluti virginum, somno in multum mane protracto, nocentius est. Hinc enim, calore et perspiratione abundanti, fibrae totius corporis laxantur, quasi continuo balneo vaporato versarentur. Praeterea, haud vero alienum videtur, in hoc statu alimentum copiosissime partibus accommodari, et hinc plethorae corpus maxime obnoxium reddi.

Quodque genus exercitationis, dummodo ne sit nimia, puellis convenit: His currere, ambulare, equitare liceat: Saltare quoque, si a violentia et frigore caveatur, ad salutem et hilaritatem confert. Canere etiam, harum sanitati quam vulgo creditur, amicior est; hoc modo enim fit, ut sanguis per pulmones liberius circumfluat, ut per illud organum perspiratio justa perficiatur; eodemque tempore ingenium serenat, mentique moestitiam adimit.

Balneum frigidum, ut alterum exercitationis genus, quo laxitate et mobilitate rectissime obviam eundum est, virginibus apprime utile erit. Inter nos parvi pretii habetur; attamen etiam gentibus barbaris experientia constat, tam salubre esse corpori humano, ut omnes fere in hunc usum sese lubenter tradant. Terris soli propioribus,

bus, in vitae oblectamentis ponitur, et in quibusdam regionibus inter sacra habetur.

Circa pubertatem, exercitationis justum regimen, ut cibi, est prorsus necessarium. Si systema ad plenitudinem spectet, vasaque turgidiora fiant, motus aut exercitatio violenta, sanguinem nimium cuidam ex organis tenerioribus subito immittendo, periculosum est, et saepe nocebit. Et non aliter, si systematis tonus jam violentior sit, exercitatio eo amplius vim haemorrhagicam augebit, facileque ex utero, seu alio quodam organo, fluxum sanguinis nimium efficere potest. Emetica et purgationes validiores, eadem ratione, sunt hoc tempore evitanda.

In habitu etiam corporis maxime naturali ac salubri, tantum plenitudinis et virium moventium actionis sub pubertatem saepissime obtinet, ut regimen haudquaquam praetereundum sit; cibo et exercitatione modica uti, necnon corpus mentemque irritamentis vacuam servare, necesse est.

Sed statu contrario languoris et inanitatis, de quo supra dictum est, exercitatio, uti mihi videtur, ad solida firmanda, ac vim totius corporis excitandam, rectissime ducit; et hinc variis chloroseos ac hysteriae affectionibus, quae aliter ob-

 tinerent,

tinerent, rite occurritur. Immo, si de his ipsis morbis curandis ageretur, exercitationi magis quam omnibus aliis juvamentis confiderem. Experientia argumento plus valet.

Mihi nota fuit virgo generosa adolescens, qua dotibus animi non alia insignior ulla; affectionibus vero hystericis gravissimis, cum mensibus obstructis, languore universo, aliisque chloroseos indiciis, laboravit. Medicamentis plurimis emmenagogis ac antispasmodicis, consilio medicorum, sed frustra, adhibitis, dolores adeo adaugebantur, quum primum mihi conspecta fuisset, ut duae horae vix unquam praeteribant, quin paroxysmum hystericum pateretur, ea symptomatum in statu corporis et animi varietate, quam aut unquam vidi aut legi: Summa praeterea erat ei laxitas, languor, et inanitas. Medicis, quibus plus ingenii et experientiae erat, absentibus, necessario, si qua juvarem, aegrotanti advocatus sum. Primum, moschi doses iteratas ministravi; et inde, paucis diebus, intervallum erat plurium horarum inter paroxysmos. Jam ad equitandum se contulit; et in ea exercitatione, quantum viribus valeret, ferme omni alia medicina deposita, quotidie perseveravit. Brevi, vires crescentes, aucta cibi appetentia,

experta

experta eſt. Paroxyſmi jam mitiores, non niſi intervallis longioribus redibant. Color denique corporiſque habitus, ac tandem menſes ipſae, cum alia quaque facultate, ſenſim redintegrantur; ita ut, quatuor ſeu quinque menſium ſpatio, valetudo non tantum reſtaurata, ſed confirmata videbatur.

Accidebat autem ut, anno ſequenti, obitum amici ſubitum de improviſo edocta, languore, anxietate, levique paroxyſmo hyſterico, correpta fuiſſet; ſed, equitando per ſpatium trium aut quatuor dierum, aegrotatio omnis evanuit; et virgo iterum penitus ad ſanitatem reddita, nec in hunc diem quicquid aut animi aut corporis priſtinae infirmitatis ſentit.

Veſtimentum.—Quum ea in veſtitu muliebri quae ludibrium ſeu levitatem ſignent, nec tempus eſt nec animus indicare; quo modo tamen ſalus corporis exinde ſit affecta, quam pauciſſimis abſolvam.

Quodcunque nobis de caloris animalium origine judicium ſit, hunc calorem cum quadam cordis vaſorumque activitate conjunctam ſemper inveniemus: Et, quum omnes ſyſtematis vires moventes in foeminis debiliores ſint, ita hinc colligendum, habitum foemineum, minus quam maſ-

cuinum,

culinum, caloris generare; et hinc quoque mulierum corporibus auram calidiorem et plus vestimenti convenire.

Sed, quando caloris aggregatio in corporis superficie ad systema relaxandum magnopere tendit, ac praesertim quum sat caloris corporis exercitatione facillime excitari queat, foeminis, ac praecipue puellis, optimum factu ducerem, ut exercitatione libera, modico vestitu, uterentur. Hoc enim modo calor non tantum augetur, sed in augendo solida firmantur, viresque systematis moventes fortiores redduntur.

Mos inter foeminas universim obtinet, ut partes corporis inferiores plus quam superiores tegant. Pelvis lumbique vestibus onustantur, dum cervix ac pectus ferme nuda relinquuntur. Hoc expedire judicant, ut ab injuriis sibi caveant, quas frigore, ad pelvim pedesque applicato, tam facile accipiunt. At nonne magis verisimile est, calorem continuum, qui in vasis uterinis servatur, in causa esse, quod haec tam expedite irritantur, injuriisque levibus constringuntur? Si a primis annis foeminae se consueverint corpora in temperamento aequabili conservare, nec partes quasdam nimio calore fovere, nonne sperandum esset, partibus tenerioribus eam tandem firmitatem fore,

re, ut aeque ac caetera membra, calorem, frigorem, aliaque irritamenta, ſine incommodo ſuſtinere valerent? Si foeminarum corpora ita colerentur, rarius, ni fallit judicium, menſibus obſtructis dolerent; rarius morbis qui e laxitate nimia ſyſtematis uterini praecipue oriuntur, uti profluvio menſium, fluore albo, &c. laborarent. Iiſdem de cauſis, eae quae frequenter pediluviis utuntur, quae ſeſe ante focum luxurioſe fovent, ſeu vaporariis corpora calefaciunt (vitia in quae saepiſſime incidunt) hiſce morbis injuriiſque ſunt obnoxiae. Eoque in Hollandia ac Flandria, ubi foeminae vaporariis vulgo utuntur, morbis ſupra memoratis, uti fama fert, frequentiſſime laborant.

Inter incommoda quae veſtitus incongruens gignit, major pars, ac, ni fallor, nocentior, oriri invenietur a *thoracibus*, ſeu illis capſis nexilibus, *Stays* Anglice dictis, quibus media pars corporis veluti vinculis arctiſſime conſtringitur, ut puella, ſicuti mores temporum ferant, ad quandam formam fingatur. Sed cuivis, qui vel minime ſyſtematis humani phyſiologiam condidicit, plane apparebit quam neceſſarius ad vitam ſuſtentandam liber per pulmones ſanguinis circuitus ſit; quodque motus reſpirationis alterni, a quibus hoc prae-

cipue

cipue pendet, actione musculorum intercostalium, abdominalium, ac diaphragmatis, una cum costarum elasticitate, peragantur; et quicquid his motibus obsiciat, pulmonum dilatationem, ac sanguinis per eos transitum, impediat: Sed, ut haec machina non tantum thoracem cingit, verum etiam majorem abdominis partem quam arcte complectitur, visceraque in diaphragma imprimit, ita hujus musculi actio in thoracis capacitate amplificanda pariter obsicitur; inde saepissime malorum cohors, anxietas, dyspnoea, tussis, spiritus foetidus, phthisis, &c. Sed praeter id, quod respiratio immediate officiatur, abdomen continuo et aequaliter premendo, ventriculi ac intestinorum in digestione functionibus, necessario *thoraces* nocent.

Ita media pars corporis, a *thoracibus* gracilis quidem ac delicata redditur; at sanitas gravissima afficitur injuria, quum proportio partium, et organa quae a natura ad munera maximi momenti destinantur, exinde sint manifesto laesa. Experientia equidem docet, hanc gracilitatem maxime graviditati inimicam esse, mulieresque ea insignes aut ante tempus parturire, seu justo tempore parturientes, maximis doloribus affligi solitas esse. Unde Hippocrates, " quaecunque gravidae

vidae praeter naturam ſunt graciles, abortiunt priuſquam habitiores fiant *."

Hac conſuetudine corpora puellarum creſcentium *thoracibus* compingendi, atque ita naturae legibus quibus pars ſingula ad juſtum virium ac incrementi gradum provenire deſtinatur, obficiendo, vitium nocentius aut abſurdius haud facile exiſtimari poteſt. Hoc maxime forſitan in cauſa eſt, cur virgines mulieresque honeſtiores ſunt magis infirmae ac delicatae, magiſque deformitatibus et abortionibus obnoxiae, quam foeminae ruſticae et operariae, ac longe magis quam gentium barbararum mulieres, quibus haec mala vix nota ſunt.

Quotidiana porro obſervantia patet, quo magis a natura, eo magis a valitudine errari. Conſtat etiam, virgines graciliores et morbis proclíviores eſſe, minuſque illius pulchritudinis et venuſtatis innatae, qua ſemper hominum cordibus latiſſime dominatur, ſe jactare. Huic conſentaneum eſt judicium Terentii, virginem deſcribentis, cujus formam Chaerea juvenis Athenienſis deperiebat.

"Haud

* Hip. aph. §. 5. 44.

"Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum: Quas matres ſtudent
"Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut gracilae ſient.
"Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt: Deducunt cibum:
"Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceas:
"Itaque ergo amantur."

Amicae autem Chaereae forma longe diverſa.

"Color verſus, corpus ſolidum, et ſucci plenum *."

Inde patet, hanc conſuetudinem, etſi antiquam, antiquitus etiam reprehenſam eſſe; ac revera haud facile quicquid magis ſtolide ſeu magis audaciter patrare poſſumus, quam ita, naturae propoſitis obſiciendis, moribus temporum verſatilibus inſervire.

Optime igitur de matribus ac virginibus mereretur, qui his perſuadere poſſet, *thoracibus* depoſitis, ſi quid ſimile neceſſarium ſit, ex materia molli ac flexibili confecto, nec unquam arcte conſtricto, uterentur. Nam, quum membra ſemel adoleverint, facilius poſtea injurias pati, propriaque munera exſequi poſſunt.

SECT.

* Eun, 2. 3.

SECT. II.

Hisce de constitutione curaque virginum breviter dictis, jam de morbis quibus procliviores sunt foeminae, a tempore procreationi apto, donec menses penitus evanuerint, pauca sunt enarranda. Et forsitan haud abs re erit, primum, liberos quando procreare, quando viris jungi maxime conveniat, paucis inquiramus.

Certum est, omnia animalia majora nobis cognita sobolem priusquam ad incrementi fastigium evaserint, procreare posse: Mulieres quoque postquam menses fluere inceperint, ita sese habent; atque hoc, uti multis placet, naturae habitum ad procreandum aptantis indicium est. Qui autem corporis statum hoc tempore satis attente considerat, et quomodo gestando ac nutriendo afficiatur, ei multa huic sententiae contraria occurrent.

Praeter mutationes insignes quas corpus foemineum circa pubertatem subit, multum justi incrementi adjici saepenumero restat: Et, si sanguis ad hoc incrementum necessarius in foetu alendo expendatur, facile apparet; exinde utrumque noce-

ri; et non aliter lactatum, qui plerumque valetudini inservit, eadem de causa, hic magnopere obesse. Membra porro teneriora, non jam ad id firmitatis ac amplitudinis provecta, quo ardua pariendi munia impune subire queant. Praeterea, his annis curarum nutriendi, et vigiliarum impatientes erunt. Apud pastores optime notum, pecora, maturius generando, quam multum laedi, sobolemque iis gracilem et imbecillem esse; hinc illis curae est, ne mas et foemina ante justum tempus coeant. Idem, ni fallor, aequa ratione, de genere humano dicere licet; sic Hoffmanni sententia, 'Hinc est, quod liberi a pueris geniti, 'etiam pueri moriantur; nec longaevi sunt, nec 'sani *.'

Hisce de causis crederem, foeminis procreare non convenire, antequam ad summum staturae vestigium ac virium evaserint: sanguis enim antea ad corpus augendum necessarius, jam superfluus, ad uteri foetusque incrementum optime accommodatur, et ad partus labores perferendos sat virium acquiritur.

Sed, etiamsi foeminis perfectis viribus summoque incremento opus esset, antequam sese maritis conjun-

* Hoffm. op. t. 5. p. 355.

conjungerent; tamen, quoniam natura foeminas ad fobolem procreandum destinavit, et ad id ipsum corpus membraque tam callide finxit; ita his muniis justo tempore exequendis saluti corporis optime consulitur. Quotidiana enim experientia docet, foeminas maribus junctas, utero gestantes, riteque Latonam colentes, valitudine firmiore uti, plusque laboris ferre, quam annis iisdem innuptas, quae cito languescunt, injuriisque levissimis facile laeduntur. Hymenaeo enim et fructifero statu, succi exuberantes non vasis ignave accumulantur, sed usui a natura destinato inserviunt. Res domesticae non sine labore administrantur, lares non sine cura colendi: Sed hanc curam et hunc laborem exercendo, matronae non magis rei suae quam saluti consulunt. Officia enim quae matribus propria dicantur, ad sanitatem et animi et corporis rectissime ducunt. Spes vanae raro foventur; operis quod oportet perfici capax, laeta utile inceptum struit, patienter peragit, tandemque gaudet peracto. Raro dubitat de quo incipere praestat, nec incertudine laborat quo compos voti fiat. Verum, praecipue ad salutem et felicitatem confert, quod nuptae certis septae praesidiis quasi in asylo aetatem agant. ubi omnia quae natura postulat libere suppeditantur, et fixa manent.

Sed

Sed innuptae longe aliter sese habent. Harum animi et corpora non ita exercentur; conditio necessario non postulat, nec animis placet. Voto naturae maximo inexpleto, vix operae pretio ducitur quo sese caetera vertant. Hinc piget moveri. Hinc virgo infelix lucem sodaliumque caetum exosa, loca avia sola quaerit, diemque silentio agit. His aerumnis, hac socordia, solida laxantur, fluida accumulantur, animus facile turbatur, et ex varia ac vaga mente cohors malorum exoriens, corpus languidum prehendit.

Sed omnium quibus innuptarum conditio sit obnoxia malorum, maximum forsan, et maxime perniciosum est, amor alte animo infixus. Hic mentem tenacissime arripit, vinculisque arctissimis tenet, judicium domat, animique facultates nobiliores non tantum frangit, sed quasi fascinat, in salutis, et animi tranquillitatis, excidium. Quam dolendum! ut quod caetera animalia ad fastigium felicitatis suae evehit, nos tam frequenter imo malorum barathro deprimeret! Sed virginibus hoc malum praecipue lugubre et miserandum est: Nequeunt quin paterentur; queri non licet. Si quid mali querimur, impertiendo vulgo levius fit: Virginibus tabe amoris pereuntibus pudor et superbia hoc levamentum negant.

Contra

Contra vehementem amorem magis secum contendere placet, quam alterius opim deposcere, aut alteri, qua dolet sagitta, indicare. Contendendo autem vulgo malum amplius crescit; et

'Quo magis tegitur, tectus magis aestuat ignis'

Vel, ut ab illo poeta qui naturam ubique pingit, elegantissime exprimitur,

She never told her love;
But let concealment, like a worm i' th' bud,
Feed on her damask cheek; she pin'd in thought,
And with a green and yellow melancholy,
She sat, like Patience on a monument,
Smiling at Grief.

Quod ad regimen attinet, quo virginum salutem tueamur, postquam ad maturitatem provectae sint; eadem ac jam pubescentibus sunt praecipienda. Ex omnibus constare debet, quae relaxationi nimiae et plethorae systematis obviam ire valeant. Prae caeteris, exercitatio corporis frequens maximo erit usui, ut mens sana in corpore sano servetur. Quantum prodest exercitium, et ipse labor, a valetudinis diversitate inter puellas, quae vitam laboriosam, et eas quae inertem degunt, manifesto patet. Diaeta simplex et quam minime irritans adhibenda est. Omne quod vi relaxanti,

relaxanti, five fedanti praeditum, organa digerentia laedit, fedulo eft evitandum. Imaginatio, quantum fieri poteft, oblectamentis variis agitanda; jucunda oblivia ruris petenda: Et denique, amicorum prudentium confuetudo his optime adjungetur.

Quod de virginibus dictum eft, aeque ad viduas juniores, foeminafque fteriles, pertinet.

Praeter mala fupra memorata, multa alia reftant corpori ingenita, quibus foeminae, five nuptae, five celebes, funt obnoxiae; ea, fciz. quae ex affectionibus quibufdam uterini fyftematis magis immediate pendent; praecipue, ubi uteri vafa et fibrae nimis conftringuntur vel relaxantur; illud enim menftrua fuppreffa, cum variis ejus, pro habitus diverfitate, fequelis; hoc vero menfium profluvium, fluorem album, abortus, &c. gignit.

Limites hujus opufculi longe fuperaret haec fingulatim tractare. Caufas igitur tantum praecipuas indicabo, quae ad hafce conditiones uteri diverfas inferendas conducunt. His enim evitatis, plurimis horum malis faepiffime obviam itur.

Apud caufas diverfas quae vafa fibrafque uteri conftringunt, omnium frequentiffimae funt frigus,

et

et animi pathemata; quae, in novem forſan, ex decem exemplis, malo huic originem praebent.

Frigus.—Jam ſupra notatum eſt, ſyſtema foemineum multo irritabilius eſſe, et morbis, ſub periodum menſtruam, ac etiam inter fluxum, quam ullo alio tempore, magis obnoxium: Non igitur ambigendum eſt, quin uterus ipſe nunc, vi aliqua, ſive conſtringenti, ſive relaxante, facilius afficiatur.

Frigus facultate pollet omnia conſtringendi corpora quibus admovetur. In foemineo igitur corpore, praeſertim pedibus vel pelvi admotum, omnium maxime fluxum ſupprimere experientia docet. Partibus etiam magis remotis applicatum, praecipue ſi corpus fuerit prius calefactum, eundem ſaepe edit effectum. Hinc patet ſtultitia earum quae ſaltatu calefactae potus refrigerantes avide ſumunt, et in conclavia frigida mox abeunt. Mulieres quoque tenerae, et frigori non aſſuetae, cubiculum perambulando frigidum excalceatae, eadem afficiantur injuria. Porro, ex humiditate, praeſertim ſi cum frigore juncta ſit, idem patiuntur.

Pathemata—Quo pacto pathemata diverſa in corpora noſtra agunt, neſcimus, et forſan nunquam

quam nobis clare conſtabit: Ex obſervatione tamen multi eorum effectus probe cogniti ſunt. Subito enim incenſa, omnes vires motrices mirifice agitant; modo eas ad ſummum excitando, modo ad mortem ipſam deprimendo. Alia in aliis corporibus, aliiſque eorundem partibus, ac ſecretionibus, diverſimodo operantur: In nullam autem corporis functionem, magis quam in menſtrua, pollent; quod forſan a mobilitate inſigni habitus foeminini eo tempore pendet. Pathemata excitantia ſaepe fluxum ad profluvium augent; dum deprimentia eundem efficaciter ſiſtunt.

Apud deprimentia, *terror* maxime valet: Debilitatem omnibus partibus infert; vaſa extrema ubique conſtringit, interque alia, uterina: Unde menſes repentino obſtruuntur, et totum ſyſtema haud raro diriſſimis tenetur malis. Pudor nimius, nec non et moeſtitia ſubito orta, eundem in modum agunt. Recordandum porro, excitantia ipſa, praeſertim iram immodicam, ad cohibendos menſes nonnunquam valere. Hiſce addere licet, diverſa in ventriculum aſſumpta, menſes aliquando ſupprimi, ut piſcis, condimenta, fructus immaturi,&c. Hoc autem ab idioſyncraſia pendet, quae ſemper alia in aliis eſt; quod enim alteri

nocet,

nocet, alteri nihil fert incommodi; in his igitur experientiam tantummodo consulere oportet.

Vires uterum relaxantes—Praeter varias causas quae uterum una cum systemate universo relaxant, sicut inertia, sopor in longum protractus, diaeta calida, aquosa, &c. sunt aliae quibus uterus ipse prae caeteris afficitur; quales sunt, puerperia dura et frequentia, nimia corporis molimina, calor immodicus utcunque admotus, sive vestibus, balneis, hypocaustis, &c. Huc quoque accedant irritationes frequentes, diureticis et catharticis diu usurpatis, vel oblectamentis connubialibus saepius justo adhibitis: Quae omnia sunt evitanda, vel saltem caute indulgenda. Praecipue vero notari meretur, quod omnium maxime lactatus huic relaxationi obviam ire, vel cum adsit summovere, confert; utpote qui sanguinem ab utero derivat, ita ut vasa et fibrae sese probe contrahant, suumque tonum recuperent.

Altera periodus vitae adhuc consideranda restat, quae foeminis forsan omnium est maxime periculosa; nempe ea qua menses fluere omnino desinunt; quod in Europa plerumque inter annum quadragesimum et quinquagesimum, pro habitus diversitate, contingit *.

* Plures mulieres inter annum quadragesimum quintum et quinquagesimum moriuntur, quam in quovis alio vitae stadio, Manningham art. obst. compend. p. 49.

Prout magis magiſque aetate provehimur, corporis fibrae ſolidiores, rigidiores, et ſicciores fiunt; hinc fabrica limata cutis, hinc color vigens evaneſcit; dum ſubrepunt calloſitas rugaeque ſenectutis ingratae. Motus omnis rigeſcit; ſanguinis circuitus pigreſcit; imminuuntur ſecreta; debilitatur digeſtio; humores tenues acreſque evadunt. Ita corpus humanum, annis pedetentim et gradatim vergens, labaſcit, adeoque devincitur, ut machinae motus tandem ſua ſponte conſiſtant.

Quum vero ſolida foeminea maſculinis ſint laxiora, minuſque motibus violentis aſſueta, non tam cito iſtam rigiditatem patiuntur, quae mortem feſtinat: Et hinc a monumentis quibus inſcribuntur mortes, liquet, mulieres poſt annum quinquageſimum, vitam longiorem quam homines, ſortiri *.

Quare corpus muliebre priuſquam virile procreationi ineptum ſit, dum tantum vitae ſpatium, tantaque ſanitas adhuc reſtat, viſum mortalium latet. Cum autem res ſeſe adeo conſtanter habeat, judicare licet, non eſſe inane, ſed fini alicui haud parvi momenti in adminiſtratione rerum inſer-

* Buffon. hiſt. nat. tom. 4 p. 352.

inservire *: Uterus enim hoc tempore mutationes insigniores subit, quam ullum aliud corporis organum; durior firmiorque fit, quod etiam manu incisoris sentitur †; plurima ejus vasa omnino delentur, aliaque sensim deleri incipiunt; fibrae rigescunt, magnamque contractilitatis partem deperdunt. In hoc statu, uteri vasa non cordis actioni tam facile cedunt; torpidae ejus fibrae ad contractiones aegre suscitantur: Itaque fluxus impeditur, donec cumulus sanguinis in majoribus sit vasis; quo pacto, extrema tandem cedunt, et sanguineum profuse effundunt. Hinc pendet inaequalitas ista et temporis et copiae fluxus, quae sese plerumque sub mensium finem ostendit. Tandem vero resistentia magis magisque adaucta, uterus suo munere perfungi nequit, mensesque omnino in posterum cessant.

Quum fluxus gradatim et ex ordine imminuatur, intervallis simul paulatim productis, nullo comitante dolore, faustum habendum est signum; propterea quod natura satis habet temporis systema mutationi aptare. Sin vero intervalla et fluxus copia admodum irregularia fiant, vel si menstrua

* In corporis partibus, nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est. Cicero de nat. Deorum.

† Hall. el. phys. lib. XXVIII. p. 171.

menſtrua ſubito ſiſtantur, timendum eſt, ne quid detrimenti a plethora capiat, praecipue ſi mulier fluxui profuſo aſſueta fuerit; vel ſi quid proclivitatis in habitu antea extiterit ad viſcerum obſtructiones, ad ſchirros vel cancros in glandulis, &c. quae omnia huic vitae ſtadio, prae caeteris, contingunt. *Monſ. Dionis*, qui iter per Galliam fecit, anno 1700, nos edocuit, ex foeminis viginti quae cancris male habebantur, quindecim inter annum quadrageſimum quintum et quinquageſimum aetatis hoc morbo laborare: Porro notavit, maxime invaluiſſe apud mulieres vitam in monaſteriis agentes *.

Idem experientia recentiori pariter confirmatur. Ex chartulis noſtri profeſſoris Monro, quas nuper mihi comiter oſtendit, didici, cancros mammarum mulieribus tredecim ex viginti duabus, eodem tempore contigiſſe †.

Alia

* Des operations de chirurgie, par Monſ. Dionis, p. 314.

† Hanc occaſionem gratias huicce viro illuſtri, propter ſuam erga me, meoſque, benignitatem ſic publice referendi, non niſi ingratus praetermittere poſſum. Ut apud omnes illius peritia in re anatomica haud ſecus ac medica in confeſſo eſt, ſic animi benevolentia, morumque ſuavitate, inter amicos, et qui ejus conſuetudine gaudent, haud minus inſignis eſt.

Alia adhuc ſunt mala quae hoc tempore vitae multum increbreſcunt, quaeque a plethora et diſtributione humorum inaequali maxime oriuntur; qualia ſunt, profluvium menſium, fluor albus, haemorrhois, affectiones hyſtericae, &c. quae foeminis magis minuſve periculoſa erint, pro habitu qui in iis valet, regimineque quo utuntur.

Quid igitur regimen huic conditioni convenit? Ex ſupra dictis mihi manifeſtum videtur, conſtare debere ex omnibus hiſce quae plethoram imminuunt, quaeque ſyſtema univerſum, ejuſdemque partes, quam minime irritant; vel, quod idem eſt, regimen antiphlogiſticum in totum adhiberi debet, quoad ſyſtematis univerſi ſtatui conveniat.

Si intervalla ſenſim producantur, et copia fluxus imminuatur, opus naturae ducendum eſt, quod interpellare foret nefas; et nihil alio eſt opus, niſi diaeta ſimplici regulari; ſimulque ab his cauſis cavere, quae ſanguinis circuitum accelerant; ut corporis exercitium immodicum, animi motus violenti, &c. His adde omnia quae conſtrictionem ſubitam vaſis uterinis inferant, veluti frigus, metus, aliaque pathemata deprimentia, &c.

Quum

Quum autem menſtrua, ſub finem, ordinem nullum ſervent, et ſigna plethorae adſint, tunc cautelam quam maximam adhibere oportet. Venaeſectio modica ſubinde celebranda eſt; alvus leniter ducenda, fonticuli inſerendi. Diaeta parca refrigerans apprime utilis erit; omniaque animi corporiſve irritamenta, quippe quae vires motrices nimium excitant, ſunt ſedulo avertenda.

Morem hiſce monitis paucis gerendo, mulieres tempus hoc criticum et periculoſum plerumque impune tranſibunt, et, ſi proſpere tranſierint, plus roboris vigoriſque acquirunt, ac ſanitate ſtabiliori quam antea utplurimum fruuntur. Immo haud raro evenit, haec ipſa mala quibus diu infeſtatae fuerant, nunc feliciter evaneſcere. Et *Tiſſot* refert, complures mulieres ſibi ipſi cognitas, quae per aliquot annos conſpicilla adhibuerant, ea, hoc tempore, omnino abjeciſſe ‡.

Quae vero de hac re cognitione digniſſima, lector in diſſertatiuncula Doctoris Fothergil, viri jure celeberrimi, reperiet: Ibi etenim cuncta agenda

‡ Avis au peuple, chap. XXVI. §. 363.

agenda pariter ac evitanda, ſumma peritia judicioque, prolata ſunt *.

Nunc ad SECT. III. de graviditate, puerperio, et lactatu, perventum eſt. Haec vero tam lata, jamque tot tantiſque medicis tractata, hic loci praetermittere oportet; quoniam limites hujus opuſculi, quod jam forſan juſto prolixius eſt, longe tranſirent.

* Med. obſ. & inq. by a ſociety of phyſicians in London, vol. 5. p. 160.

F I N I S.